Q. D. B. V.

Diſſertatio Inauguralis Medica

DE

FEBRE INTERMITTENTE ANOMALA,

Quam

FAVENTE SUMMO ARCHIATRO

Decreto & Authoritate Gratioſæ Facultatis Medicæ

IN ALMA EBERHARDINA

PRÆSIDE

Decano Spectatiſſimo,

DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO,

Philoſ. & Med. Doct. ac Profeſſ. Publ. Ordin.

Sereniſs. Würtembergiæ Ducum Conſiliario & Archiatro, Facultatis Medicæ Seniore.

Dn. Fautore, Patrono & Præceptore ſuo Colendiſſimo,

Pro Licentia

Summos in Medicina Honores, Privilegia & Inſignia DOCTORALIA

ritè legitimèque conſequendi

Solenni ſubmittet Examini

JOHANN-HENRICUS Gſell/ Tubing.

Ad diem Septembris

IN AULA NOVA

Horis ſolitis.

TUBINGÆ,

JOHANN-CONRADI REISI,

Anno M. DC. XCII.

12

VIRIS,

Magnifico, Nobiliſſimis, Excellentiſſimis,

Experientiſſimis, Conſultiſſimo,

DOMINIS,

DN. JOHANNI ZELLERO, Med. D. Inſtit. Anat & Chirurgiæ P. P. Celeberrimo, Sereniſſ. Oeting. Princ. Archiatro Feliciſſimo, Univerſitatis p. t. Rectori Magnifico.

DN. ELIÆ RUDOLPHO CAMERARIO, Philoſ. & Med. D. hujusque Profeſſ. Publ. longè Celeberrimo, Conſil. & Archiatro Würtembergico Feliciſſimo, Fac. Med. Sen. & h. t. Decano Spectatiſſimo, Diſput. hujus Præſidi Graviſſimo.

DN. JOHANNI GEORGIO GMELINO, Med. D. Experientiſſimo, Sereniſs. Würtemberg. Ducis Conſiliario & Archiatro Feliciſſimo.

DN. JOHANNI JACOBO BAURIO, Ordin. Provincial. Ducat. Würtemberg. Intimioris Senatus & Summi Dicaſterii Aſſeſſori Prudentiſſimo, Conſuli Tubing. Primario, Suſceptori ſuo Venerando.

Dominis Patronis, Fautoribus, & Promotoribus ſummè colendis hanc Gradualem Diſſertationem pro infinito beneficiorum acceptorum numero quantillumcunque redhoſtimentum

D. D. D.

Cliens devotiſſimus

Johann-Henricus Gſell.

Hiſtoria.

Vir annorum 33 opificio victum quærens ordinatam vivendi normam non concedente, hinc in ſex rerum non-naturalium uſu regulas medicas variè tranſiliens, *menſ. Auguſt. prioris anni* laſſitudinem ſentit ſpontaneam cum anorexia & frequenti oſcitatione ac pandiculatione per *quatriduum*, tandem rigore prehenditur non levi, quem inſequitur æſtus vehementiſſimus cum Cephalalgia feroci & ſiti intenſa per *12 horas*, inde remittunt hæ moleſtiæ, remanente anorexiâ & laſſitudine, nec tamen tanta, ut lecto ipſum affigeret. *Triduo* ita peracto, vehementior ipſum corripit horror, ſubſequente æſtu, capitis dolore & ſiti intenſioribus per *8. horas*, unde iterum induciæ, ſed per *16.* ſaltem *horas*; iſto enim tempore absque ullo frigoris, rigoris aut horroris ſenſu ſubitus ægrum dejicit æſtus, ac fervor totius per *biduum* cum Cephalalgia leviori ac ſudore. Exhibet, qui conſulitur, Tonſor hauſtum vini, quod affuſum erat per noctem pulveri cuidam albo-luteo exiguæ quantitatis; Vix media hora elapſa anguſtias, præcordiorum compreſſionem, lipothymiam, tormina, laſſitudinem ac indicibilia varia perpeſſus æger, ut mortem imminere ſibi certiſſimè crederet, tandem per ſuperiora & inferiora ejicit corruptiſſimos varios humores, inſipidos, acidos, amaros, tenues, viſcidos vicibus tot, ut numero includere certo non detur tàm dirè exagitato. Altero die ejusdem conſilio Vena brachii dextri ſecatur. *Die ſequenti* invadit iterum calor totum corpus maximè exurens, absque ullo ſudore cum cardialgia ferè intolerabili. Petit opem ab Alio qui pulverem ex cortice, ut ajebat, peregrino, & Eſſentias ac Tincturas febriles ingrato ſapore & fauces adurente, ſitimque vehementisſimam excitante calore, multo, ut cenſebat æger, ſpiritu vini præditas per 15. dies exhibet, ſub quo tempore absque ullo typo *octies* à paroxyſmo obruitur ſummis fervore, cardialgia,

 com-

compreſſione præcordiorum ac torminibus ſtipato, ter cum, quinquies absque rigore. Apyrexias die deambulare per cubile aliquandiu, ſed valdè laſſus poterat. In poſtremis his paroxyſmis licet ſumma adeſſet ſitis, omne tamen potus genus, quodcunque offerebatur, faſtidiebat. *Septembri* ad finem vergente, conſilium petit à Medico, valdè emaciatus, pallida, lurida facie, vultu mœſto, laſſus, narrans non ſolùm prægreſſa modò recenſita, ſed & referens, corpus ſuum perpetuò calere, cum exacerbationibus & intenſionibus tamen vagis, ſubintrante nonnunquam frigore, appetere ſe cibos, ſed non tàm, ut ſibi videatur, ad ſedandam famem, quàm ad replendum vacuum, ad obtundendum rodens in ventriculo; os ac fauces ſiccas, ſpiritus in inferiori parte detentionem, alvi conſtipationem, cordis palpitationem, ventris ac præcordiorum diſtenſionem & vigilias perquam moleſtas eſſe conquerens, ſimul monſtrans urinam rufo-flavam rubris arenulis copioſis in fundo ſcatentem Pulſu explorato, quem frequentem, debilem, parvum deprehendit, & ſpe convaleſcentiæ facta, Medicus præſcribit ſequentes pulveres, quorum quilibet hora una ante aſſumptionem cibi cum juſculo carnis calido capiendus, & Mixturam ſive Aquam, ſæpius 2. cochl. quantitate ſumendam:

℞ Oc. 69. ppt. ʒj.
Crem. Tartar. ℈ij.
Sal. abſynth. ℈j.
M. f, pulv. divid. in 4. part. æq. d. ad 4. diſt. ch.

℞. Aq. taraxac.
endiv.
centaur. min. aa ℥ij.
Syr. rub. id. ʒvj. M. d.

Sub uſu horum accedit paroxyſmus cum levi frigore & ſuccedente mediocri æſtu, ſed laſſitudine maxima, pulſu mediocri per horas 20. Conſumptis 4. pulveribus propinat Medicus potiunculam ſequentem.

℞. Tamarind. ℥ß.
Fol. Sen. el. ʒij.

Sem.

Sem. aniſ. ℈ß.
Crem. Tart. ℈j.
Coq. in aq. font. q. ſ.
℞. Colatur. ℥ij.
Syr. d. cichor. c. rhab. ℥j.
M. d.

Dejectiones ſecutæ ſunt ſex absque torminibus, ſed cum teneſmo urente. *Die* ab aſſumpto purgante Medicus ipſum deprehendit non valdè querulum, extra lectum commorantem, aliquantum laſſum; Præſcribit ſequent.

℞. Pulv. Pannon. r. compl. ʒiß.
Ebor. ph. calc.
Oc. 69. ppt.
C. C. ph. calc.
Matr. perlar. ppt. aa. ℈ij.
Spec. diarrhod. Abb. ℈j.

M. f. pulv. D. S. Pulver/ davon Morgens und Abends 3. völlige Meſſerſpitz voll zunehmen.

℞. Aq. centaur. min.
fragor.
aceroſ. aa. ℥ij.
Syr. aceroſell. ʒvj.

M. D. S. Waſſer davon mit dem Pulver allezeit 4. Löffel voll zu nehmen.

℞. Conſerv. rad. cichor. ℥ij.
acetoſell. ℥j.
Carn. citr. cond. ℥ß.
Nuc. Indic. condit. ʒiij.
Syr. byzantin. q. ſ.

M. f. Elect. S. Latwerg/ davon bißweilen ein paar Meſſerſpitz voll zu nehmen.

℞. Sem. 4. frig. maj. excort. aa ʒß.
papav. alb. ʒiß.

F. cum Aq. ſcorzon.
taraxac.
endiv. aa. ℥j.

Emulſ. d. ſ. Milch über die ander oder dritte Nacht vor ſchlaffen gehen zu nehmen.

Simul, ut, quamprimum vel leviſſima paroxyſmi imminentis indicia ſe proderent, pariter & bihorio poſt finitum paroxyſmum ſeq. pilulæ numero xii. deglutiantur, cum vehiculo pulveri dicato, injungit Medicus:

℞. Extr. gentian. ℈ij.
bezoard. Dn. Præſid.
papav. errat.
Card. bened. aa. ℈ß.

M. f. pil. pond. gr. 1. de☉tur.

Quarto à purgatione *die* paroxyſmus redit vehemens cum horrore, intenſo æſtu, cephalalgiâ, laſſitudine, cardialgiâ, ſiti inſignibus, finiens tandem copioſo ſudore; quem altero die ſequebatur ſimilis; pergit præſcriptis medicamentis æger. die 8. *Octobr.* per *unius diei ſpatium* paroxyſmos febriles modò cum, modò ſine inſigni rigore, mediam integram horam durantes experitur tres, quatuor; per *quatuor* iterum *dies* à talibus liber, die 13. & 16. *Octobr.* denuò iſto modo impetitus. Extra paroxyſmi tempus appetit mediocriter, ſed ab ingeſto cibo à flatibus tortus, compreſſionem, diſtenſionem præcordiorum & abdominis patitur, ſitit multum, parum tamen bibens, non dolet capite, turbidum tamen ſentit cum ſomno interpolato, pauco, alvum per aliquot dies liberam, nunc non ſatis obedientem habet, urinam & pulſum monſtrat ut ante, per laſſitudinem à gravioribus laboribus impeditur, non tamen penitùs otioſus. Medicus juſcula rad. apii rec. fol. endiv. & naſturt. aq. rec. alterata ſuadet, cum reiteratione pulveris & uſu ſeq. Trageæ:

℞. Cort. arant. ext. flav. ſubtiliſs. ſepar. ʒiß.
L. Saſſafras ʒß.
Spec. aromat. garyophyll. ℈j.
Tunic. ventr. gallin. ℥ß.
Sacch. alb. ℥ij. M. f.

M. f. pulv. d. ſ. Tryeth/ davon zu Beſchluß der Mahlzeit 4. Meſſerſpitz voll auff einer gebäheten mit Wein gewaichten Schnitten Brot zunehmen. Quibus cùm per *decendium* uteretur, non ſolùm febriles paroxyſmi, ſed & aliæ moleſtiæ ſenſim ac ſenſim *per DEI Gratiam* remiſerunt, ut *ſub Octobris finem* ſuo iterum, ut ante, vacaret opificio.

Interdictum fuerat à Medico cibis actu frigidis, fructibus crudis, aceto, paſtis, frixis, muſto recenti & ſimilibus. Pro potu ordinario inſerviebat Ipſi ſeq.

℞. Hordei
Oryzæ aa. mj.
C. C. uſt ℥ß.
Rad. cichor. ℨij.
Sem. fœnic. ℨj.
Coq. in aq. fontan. q. ſ. ad remanent.
menſ. 1. d. Colatur.

Aliquando hauſtus acidularum; Vini mediocris portio modica nonnunquam apyrexias die, ſed non omni concedebatur. Alvi conſtipationi modò ſuppoſitoriis, modò clyſteribus domeſticis ex brod. carnis, vel lacte, vel cremore hordei (alternando) cum vitell. ov. butyr. & mell. occurrebatur.

L. B.

ELapſum eſt ſemeſtre, quod Diſſertationem Medicam *de Febribus in genere* publicè ventilavi: Nunc poſt ſuperata Examina Solennis Inauguralis Diſputationis Thema defendendum propono, *Caſum Specialem Febris Intermittentis Anomalæ* cum Expoſitione. Quid enim talium Caſuum Reſolutiones proſint ad Praxin aggrediendam cincto, norunt, qui ſub manuductione Excell. Dn. Præſidis privatâ hactenus talia tractarunt. Reperitur talis Hîc habita Inauguralis Diſſertatio de Phlogoſibus Vagis Scorbuticis de verbo ad verbum exſcripta à Collectore operum D. Michaëlis poſthum. in Praxi Clinicâ Speciali absque tamen Authoris mentione. Sit autem, *Aſſiſtente Gratia Divina*, Hiſtoriæ Propoſitæ

EXPO-

EXPOSITIO.

Thesis I.

MOrbus, qui hunc Ægrum tenet, eſt *Febris Intermittens Anomala ſive Irregularis*. *Intermittere* dicitur febris, quia p. n. fervor ſive æſtus ceſſat, poſtmodum autem redit; In continua periodica, ubi continuo tramite pergit, ſed ad ἀπυρεξίαν nunquam devenit, aliquando verò exacerbatur, *Remiſſio* potius; & ubi penitùs ceſſat nullo redeunte paroxyſmo, *deſiiſſe* dicitur. Paroxyſmi ſive acceſſiones plerumque ſtatis certisque periodis redeunt, certis temporum intervallis revertuntur, ut non ſit avtomaton horologium exactius, *Regulares* tunc & *Ordinariæ*: Sed multum ab hac Regula (habent enim & p. n.ia ſuam nonnunquam regulam, ſuum ordinem) ſæpè recedunt Febres Intermittentes: Nam non ſolùm anticipant, poſtponunt, complicantur, componuntur, confunduntur, ſubintrant, communicant, ſubalternant, continua cum intermittente, intermittens hæc cum alia &c. (ne dicamus de complicatione cum aliis morbis, de varietate, quibus ſtipari ſolent, ſymptomatum) ſed etiam qua periodos & acceſſionum ac terminationum modos penitùs, multùm & inordinatè variant. hinc *inordinatæ, vagæ, erraticæ, irregulares, anomalæ* vocantur, è quarum cenſu hæc propoſita eſt. Patet hinc, non nos hîc illas propriè intelligere Anomalas febres, quas *Quidam* ob ſingularem indolem recenſent, Algidas, Ardentes, Epialas, Lipyrias, ſudatorias, ſiccas, tuſſiculoſas, ſputatorias, catarrhales, micturientes, dejectorias, Emeticas, Syncopales, Cardiacas, Formicales, Præfocantes, Anheloſas, Aſthmaticas, Arthriticas, Inſanas, Maniacas, Siticuloſas, ſed potiſſimùm ratione typi & temporis paroxyſmorum. Qui verò non unam febrem, quia apyrexia frequenter obvenit, intermittentem, ſed plures vocare vult, ut *Quibusdam* placet, is & Noſtrum pluribus febribus laboraſſe dicere poterit. At talis denominatio à recepto Intermittentis vocabuli uſu nimium recedit.

II. *Anni prioris æſtate* dirè mirèque longè latèque graſſata fuit Febris, quæ plerumque tertianæ ſimplicis aut duplicis, raro quar-

quartanæ, rariùs continuæ typo luſit, imò, quæ à principio intermittens erat, evadebat continua, rarò continens, frequentius periodica, & ècontra quæ in principio continua, tranſibat in intermittentem, quæ ſimplex, in duplicem, quæ duplex in ſimplicem. Nec typo ſolùm variè luſit, ſed & frigore, rigore, calore, æſtu, horrore, non in diverſis ſolùm ſubjectis, ſed & in eodem individuo, diverſo tempore. Quæ has febres vel comitabantur, vel remiſſionem illarum inſequebantur fuere plurima, varia. In paroxyſmis frigus, quod & cum & absque tremore, rigore, concuſſione aderat, excipiebat calor modò levior, modò gravior, modò cum, modò ſine ſubſequente ſudore; Lurido corporis habitu livebant plerique, viribus multum depauperati. Convaluerunt plurimi, qui præſertim ſub ingreſſu morbi legitima tractati fuerunt methodo, qui verò adverſa, aut qui Medica ope deſtituebantur, quidam perierunt, quidam ad magnam miſeriam & incitas redacti fuerunt: Plerique diu ab hac lue vexati, valdè tardè curati, imò pauci à recidiva ſalvi manſerunt. Graſſabantur tales febres in pluribus provinciis, invadebant potiſſimùm caſtra, inque his tàm officiales, quàm gregarios, tàm milites, quàm aulicos, tàm merentes, quàm medentes. Nec in caſtris ſolùm, ſed & in aliis locis, quò milites non pervenerunt, ſerpebant tales Intermittentes Febres, in Saxoniâ, Helvetiâ, Belgio, præſertim Lugduno (alia erat febris, quàm quæ ibi plerumque Germanos infeſtare ſolet) & plurimis aliis in locis, imò & in Italia, Veronæ, ac Vicinia. Incedebant quædam ordinario, ludebant aliæ multumque nocebant maligno more. Quædam certum obſervabant typum, quædam ab ipſo deviabant, etiam in tali deviatione non absque ordine quodam certo, aliæ verò variè irregulares erant. Iſto tempore & hunc Ægrum Hæc invadebat, *Cujus*

III. *Subjectum* fuit Totum Corpus, cui cor cum ſanguinea maſſa cauſam hujus affectus communicavit. Variè autem variæ partes afficiebantur, ut in ſequentibus dicemus: Quæ nimirum cauſæ mortificæ in ipſas majorem impetum repellere aut emendare non valebant.

IV. *Subjectum Cauſale* in hoc ſpeciali affectu eſt Maſſa

Sanguinea cum corde. Sicut hæc diverſo conſiderandi modo & paſſivum & cauſale conſtituit Subjectum, ita & affectæ particulares partes. Subjectum Cauſale, quod multi *Focum* nominant, Intermittentium Febrium ſecundùm diverſos Authores eſt diverſum. *Quidam* extra vaſa, corporis habitum, extrema, *Alii* primam corporis regionem, circum præcordia, circa ventriculum inteſtina, diaphragma, jecoris cava, lienem, pancreas, omentum, aut meſenterium, iterum *Alii* ſaltem harum partium vaſa, *Nonnulli* viſcus hoc vel illud, *Quidam* vaſa meſaraica, quibus *Quidam* capillares addunt venas, *Alii* intra vaſa primum, poſt membranas & carnes, *Nonnulli* glandulas & vaſa lymphatica, *Quidam* in ſpecie ſalivales glandulas & Pancreas, *Alii* Chyli receptaculum, Subclaviam, *Alii* veſiculam biliarem ſolum, hepar *Alii* mineram ſive Focum febrium ſtatuunt. *Nos* omnia hactenus dicta non excludimus, ſed ſingula aliquando, hanc partem in hoc, aliam partem in alio febre intermittente laborante, imò & viſcera ac partes ante non recenſitas, omnes noſtri corporis, etiam fluidas poſſe & ſolere foci ſive ſedis locum ſubire dicimus. Subjectum autem Cauſale ſub vario reſpectu & conditione variè etiam conſideratum volumus, *Illud*, quod Subjectum eſt cauſæ proximæ & immediatæ, effervescentiæ nimirum p. n.is eſt M.a S.a *Subjectum* verò, ubi aliquando ipſa effervescentia contingit, poſtmodum cordi & maſſæ ſanguineæ communicata, quæcunque corporis pars. *Id* denique in quo gignitur, detinetur, movetur efferveſcere faciens, itidem quævis pars eſſe poteſt, privata ſive materiæ, ſive ſuæ diſpoſitionis vitio, ſive ab externa, ſive ab interna cauſa ſcorias p. n. gignens & colligens. Sive enim ad partem quandam affluat ſanguis aut alius ſuccus variis ſylveſtribus tinctus particulis, ibique ſtagnet, ſive ob craſeos ac texturæ vitium pars in officio publico ſecretione certi ſucci determinatarum particularum, aut in privata nutritione deficiat, particulæ in fermentationem ſe invicem & M.am S.am ciere aptæ utique generantur. Secundum illud & Tertium Subjectum Cauſale frequenter una eademque pars conſtituit; Et ſolent ac poſſunt eſſe vaſa, viſcera, glandulæ, tàm quæ utilis,

lis, neceſſarii, quam quæ excernendi ſucci ſecretioni inſerviunt, ſecretoriæ, nutritiæ, mucilaginoſæ, veſiculares, medulloſæ, adipoſæ, imò & fluida, circa excretoriorum præſertim ductuum & anguſtorum circumtortorum vaſorum extremitates. Potiſſimum tamen & plerumque ventriculum ac primas vias Subjectum Cauſale eſſe non negamus, dum vel liquorum tàm gaſtrici, quàm inteſtinalis, tàm pancreatici, quàm biliosi, aut aliorum p. n.ium, vel ventriculi fibrarum, vel alimentorum culpa chylus generatur corruptus, vel ob detentionem in inteſtinis aut lacteis chyli propter anguſtata vaſa in iisque remoram corrumpitur, & fermenti naturam instar maſſæ farinaceæ induit. At non ſemper nec ſolùm in omnibus febribus intermittentibus hoc Subjectum Cauſale eſſe, docet aliquando Symptomatum his vitiis propriorum abſentia, cauſæ alius in alio loco & parte præſentia, cui accedit; quod ſanguis & cum ſanguine aliæ partes chyli etiam contrahant & luant vitia, ſæpè ſanguis & alii ſucci naturales heterogeneis huic negotio aptis absque primarum viarum vitio moleculis tingantur. Hinc non ſolùm Ventriculum, ſed & Lienem ac Hepar potiſſimi illius ſententiæ *Patroni* addiderunt. In *hoc Noſtro Caſu* cum tàm diverſus luſus quà ſingula fuerit, etiam varium pro diverſitate temporis *Subjectum Cauſale* ponimus, ventriculum, primas vias, viſcera depuratoria & glandulas varias.

V. *Cauſa proxima & immediata* eſt ſanguinis efferveſcentia fermentatoria, præternaturalis, turgeſcentia inordinata, motus, auctus, depravatus, contingens cum quadam, non regulari aut certa viciſſitudine; quo ſenſu accipiamus & explicemus hæc, ex *dicta diſſertatione* patet.

VI. *A Naturali ſtatu recedunt* Spiritus aliàs naturales, nec vapores halituoſi & flatus abſunt: Humores naturales deviantes, ſanguis, ſerum, lympha, ſaliva, liquor gaſtricus, inteſtinalis, bilis, pancreaticus, mucus oblinens, humectans fibrillas totius, varii alii naturales corrupti, & p. n. geniti, producti modis mox dicendis lædentes: Solidarum partium fibræ carneæ, nerveæ, membranaceæ, vaſa, viſcera & glandulæ.

VII. *Quo* autem *modo* hæc à naturali ſtatu recedentia, quà conſiſtentiam diſtincta hic *læſerint*, & illam ſingularem effervefcentiam excitarint, ſi quæras, dicimus: *Defeciſſe* Spiritus, blandum partium & lymphaticum humectantem balſamicum rorem, particulas ſanguinis mites, blandas, volatiles, mitigantes, demulcentes. *Exceſſiſſe* Vapores halituoſos, flatus, ſub tali partium à ſe invicem ſeceſſione fermentatoria neceſſariò exurgentes, & humores p n. Spiritus vigore ſereno & volatili activitate privatos, hos & ſanguinem *infectos* inimicis iſtis ac adverſis particulis ſalſis, ſulphureis, acribus, p. n tenuibus, volatilibus, ſecretis & ſui juris factis, ſimul & viſcidis ad vappeſcentiam pronis, à ſpirituoſa naturali volatilitate deſciſcentibus, aceſcentibus. Depravatè & nimium *motos* fuiſſe, (Scorbutica labe tinctos qui diceret, in nimis lata ſignificatione acciperet) deſcriptæ particulæ variè & inæqualiter mixtæ turbabantur, tumultuosè movebantur, & movebant in ſanguine, ut plura ſubtilia effluvia corporis, quod calidum nimis tangebatur, ſubjectum tactus majori impetu irregulariter, inordinatè affecerint. Fibras modò *laxiores*, modò *ſtrictiores* juſto, membranas ſucco humectante *orbatas*, aut ab acri tali *laceſſitas*, viſcera & glandulas in craſi ac textura *mutatas*, ſolidas partes vigore ſpirituoſo & lympha rorida *deſtitutas* fuiſſe.

VIII. *Tales* autem *accuſatæ cauſæ* partim genitæ, partim ſecretæ, partim exaltatæ, partim agitatæ, partim cumulatæ fuerunt conſpirante *æſtate* & *anni tempore* à ſequentibus. Iſtam, qua hæc patiebatur Æger, *æſtatem* prægreſſa fuerat hyems rigidiſſima, ultra ſolitum diu durans, gelu horrendum non vinearum ſolùm noſtrarum & vitium vigorem auferens, quod Publicum adhuc dolet, ſed & arboribus plurimis morbos & æſtate ſuccedente mortem inferens: Succeſſit *Ver* boreale, quod præter alia vites noſtræ, quæ poſt eluſum, quia ſub terra reconditæ erant, hybernum gelu, tum demum germinibus ſuis tenellis à frigore pruinoſo exurente & vento boreali conſumente ſpoliabantur, docebant. Succeſſerunt *pluviæ* frigidæ, copioſæ ad æſtatem usque. Hinc ſpiritus, ſanguis ac alii nativi humores à ſpirituaſcentia, tenuitate ac roſciditate debita

de-

dejiciuntur, acorem contrahunt, p. n. tales generantur, ſecernuntur. Tandem acceſſit ſubitò intenſiſſimus & colliquans æſtus, fervidiſſimus aër, ſicciſſima exhauriens ipſius intemperies. Retulit Curſor, qui ab Imperatore AUGUSTISSIMO in Hiſpaniam mittebatur, redux tantum ibi æſtum, quam in hoc noſtro tractu non exurere; teſtati ſunt plures Officiales, ſe annis abhinc aliis cum in Morea agerent & militarent, tantum, quantum iſtâ æſtate æſtum ac ardorem non expertos. Hinc ſingulariter heterogeneæ, adverſæ, ſalſæ, acres, ſulphureæ, volatiles in corpore particulæ gignuntur, augentur, moventur, cumulantur, colliquantur, ad fuſionem coguntur, in p. n. effervescentiam aguntur; nec enim priora hæc tollunt. Communi huic moleſtiæ ſe ſubducere non poterat Æger noſter, nec iſti, quam *opificium* illud poſt ſe trahebat, dum modò interdiu, modò noctu, pluvioſo, nebuloſo, pruinoſo, æſtuanti, fervido, turbido aëri ſe commiſit. Tranſpiratio quantum impediatur, quoties nimio corpus diffluat ſudore, æquilibrium aëris externi cum interno quantum tollatur, facilè conjicere licet. Sunt qui mumiale, ſpecificum aëris miaſma accuſant.

IX. *Opificium* ordinatam vivendi normam non concedens non ſolùm in *Diæta* vitia committere fecit, dum cibi crudi, dyſpepti, excedentibus particulis ſcatentes, rorido glutini & balſamo adverſi, imò etiam ſatis adhuc laudabiles nimiâ quantitate, dum multis modis varii absque ullo ordine, absque tempore certo aſſumpti fuerunt, dum aliquando protrahebatur jejunium, aliquando cibi cibis ſuperingerebantur, dum potus cibi vicem ſupplebat, ingurgitabantur tales varii, aqua, vinum, cereviſia, acidulæ, ſpiritus vini, aquæ vitæ, aut alia ejus genera confundebantur, hauſtus fuit potus actu frigidiſſimus corpore æſtuante, ſiti ſæpè diu ob potus defectum tolerata, exceſſu vini frequenter ad ebrietatem non levem accedente: Sed & omnem in reliquis *Rebus Non-naturalibus* ordinem ac regulas evertit, dum labores intenſiſſimos, violentos, ad ſummam laſſitudinem, ſudoris profuſionem largiſſimam requiſivit, ſomnum ſæpius interrupit, ira exæſtuare fecit animum, excretioni ſuperfluorum aut retentioni utilium ſtudere

nullo modo permiſit. *Medicamentorum*, quæ ad hanc Cauſarum claſſem referunt, uſus tam omittendo, quam committendo quin malum auxerit, non dubitamus. Primis diebus, quo tempore non rarò docta prudentia in prima herba ſuffocare talia novit, aut nulla, aut domeſtica (quod non mulierculis ſolùm ſed & ſapientioribus Quibusdam Sciolis valdè frequens eſt) fuerunt exhibita. Inde acceſſit Tonſor Vinum pulveris (qui ſine dubio florum Antimonii fuit) Tinctura imbutum propinans, ſymptomatibus ſubſecutis, violentiam ipſius teſtatis. Non disquiremus, cùm res jam facta ſit, an Vomitorium fuerit neceſſarium? Potuiſſet exhiberi mitius; licet hoc olim frequentiſſimum Celeberrimis fuerit Chymicis. Recentiores enim Pyrophili pleraque etiam laudatiſſimorum antehac Chymicorum non admittunt, ſed eidem intentioni correctiora, prudentiùs elaborata opponunt. Quid, ſi per tempora ſuccedentia, quæ hodiè laudantur, etiam reformentur, emendentur? Tenuia, volatilia valdè, calida & ſpirituoſa diu magna doſi, ut in hoc caſu, exhibita his in oris quid juvent, quid noceant in talibus morbis, prudentes à præconceptis opinionibus liberi Obſervatores norunt.

X. Accuſata autem *effervescentia* cur non eodem tramite in febribus intermittentibus pergat ac duret, ſed *ceſſet* & *redeat*, varia ſequentia dicunt *Authores*. Materia in primis viis collecta, præternaturalis fermentativa, ubi putreſcere & efferveſcere & paroxyſmum calore in totum corpus diffuſo, ſive ſub vaporoſâ ſive ſub humoroſâ formâ communicata, excitare incipit, per varias tandem vias ſenſibiliter aut inſenſibiliter evacuatur: quâ materiâ quocunque etiam modo diſcuſsâ paroxyſmus ceſſat, & calor febrilis deſinit tam diu, donec nova materia, quæ ſimiliter ſuo tempore putreſcit & efferveſcit, genita ſit. Accidit autem hoc ob vitioſam in parte diſpoſitionem, quæ vel proprio vitio, vel ob miaſma ſeu inquinamentum talis eſt, quod relictum poſt paroxyſmum inſtar fermenti humores inquinat, & corrumpit, &c, ut ſuo tempore putreſcant & efferveſcant, in cauſa eſt. Ubi ſtagnans aliquis humor in parte ſolidâ ſuâ mora ob rationes ſupra dictas à ſanguine di-

ver-

verſiſſimus fuerit factus, & ille ſive errore aliquo in diæta adjuvante, ſive particularum ſolâ diverſitate magis magisque fermentando incipit ebullire, nec tamen carceris ſui latera dilatando obſtructiones ob vias nimis arctè præcluſas reſerare poteſt; tunc vim faciendo valvulis, quæ refluxum humorum impedire ſolent, regurgitat, & in proximos tubulos ductusve effluit, usque dum latibuli latera diſtenta nonnihil collabuntur, & fermenti particulis reſiduis tanquam in ſacco pendentibus liberum detur ſpatium, turbidum proſequendi motum. Dein, quia tunc temporis impetus ille effluentis fermenti deſiit, ideò humores per poros arteriarum effluentes naturali ductu à centro verſus circumferentiam corporis, latibulum evacuatum rurſus replent. & volitantium particularum motum retardant, donec ab æthere per earundem poros fluente intra horarum dierumve ſpatium humor receptus in fermenti naturam fuerit mutatus, utque ante ad ebullitionem perducitur: tunc enim rurſus portio ejicitur, paroxyſmusque renovatur. Fermentum p. n.is fermentationis cauſa præcipuè in ſalibus ſylveſtribus crudis minùs ſubactis conſiſtit, tàm acidis, quàm ſalinis, acribus, ſalſis, modò hoc, modò alio genere prævalente: Fermentatione abſolutâ denuò tale fermentum ſanguineæ maſſæ communicatur. Fomes nimirum febrilis non facilè penitus è minera ſua & ſanguine emigrat, ſed relinquit ubique ſcorias ſui generis cohærentes & reſtitantes: Hæ dum ita latent, partim propter ſtagnationem ipſam, partim propter acceſſum novorum ſalium ſe multiplicant, & æquè ac anteà novum naturæ negotium faceſſunt. Succus nutritius ſanguini commixtus, cum eo non aſſimilatus ipſius maſſam adimplens ebullitionem & fervorem excitat, qui materiâ morbificâ in paroxyſmo difflatâ ceſſat, novâ ſubſtitutâ, denuò redit. Succus pancreaticus propter ſtagnationem acrior redditur, & ſic pituitam obſtruentem perforando viam ſibi per illam parat in ductum communem, donec effuſo omni ſucco prius retento ſenſim coaleſcat prædicta pituita ductus lateribus adhuc adhærens, & ſibi mutuò aduniendo obſtructionem reparat, unde iterum ad alium paroxyſmum ſuccus pancreaticus cumulatur,

qui

qui iterum morâ ſuâ acrior redditus rurſus pituitam perforat, & novum paroxyſmum excitat. Poſtquam aliquot jam tumultuati ſunt paroxyſmi, natura quaſi aſſueta priori tempore ad idem redit negotium, ſicut & in iſtis qui cucurbitulis ſcarificatis menſtruo tempore ubi conſucti ſunt, moleſtiam quandam, puncturas pruritum, titillationem excitat nonnunquam, imò puſtulas efflorеſcere facit, in locis antea ſcarificari ſolitis tempore aliàs ordinario. In diverſis his ſententiis pleraque conciliari poſſunt, & unum per alterum explicari. *(Novimus quidem multis non arridere tales conciliationes; Sed cur, qui juvandi Tyrones ſtudio, non famæ aucupio agitur, talia non tentaret?)* Effervеſcentia illa induci poteſt ac ſolet, cùm fluidis aut ſolidis impreſſi ſupra dicti characteres, communicatæ tincturæ ſunt, aliquando, cùm liquores illi ſeu menſtrua primarum viarum à naturali ſua indole deviant, ſive affluentis ſanguinis, ſive alimentorum & chyli vitio, aliquando, cum chylus & lympha in Pancreate Aſellii in ductu thoracico primum, poſtea cum ſanguine in ſubclavia mixta congrediuntur, aliquando, cùm in ipſa M.a S.a fermentum genitum, motum, aut quod delituit, poſteà è vagina eductum, ad maturitatem perductum fuit, aliquando, cum ſeri variè tincti particulæ ſuorum ſecretoriorum aut cauſæ materialis culpa degenerantes, aliquando, cùm externa, alimenta, potulenta, nonnaturalia ſanguinem in effervеſcentiam agunt, paroxyſmum excitant: Illa verò diſpoſitio, illud fermentum denuò excitatum, denuò agens, ſed pro diverſitate ſuâ diverſo tempore, paroxyſmum novum producit.

XI. In *Noſtro Ægro* pro temporis diverſitate diverſas cauſas locum habuiſſe cenſemus: Modò particulæ in ſe effervеſcentiam, tumultum excitare aptæ adfuerunt, modò in & per ſe ſolitariæ non aptæ ad illam turbationem ab occurſu aliarum agitationem turbulentam ſuſcitarunt. Obſtructionem autem licet aliquando non negemus, ſemper tamen neceſſariam haud judicamus: Sicut enim in Macrocoſmo multæ effervеſcentiæ diu abſentes (licèt cauſæ adſint, ſed quietæ; non maturæ, ſub dominio coërcitæ) ſubitò erumpunt: ita & in Microcoſmo ſanguis

guis aliique liquores abſque obſtructione in efferveſcentiam cieri poſſunt. Qui autem illud, quodcunque ſit, quod latere, non agere facit fermentum, quod poſtmodum erumpit, obſtructionem vocare vellet, nimis abuteretur hoc vocabulo, inſtar illorum, qui omnem febrem imò morbum ab acido deducunt, acidum verò volatile penitus deſcribunt, (ſolùm nomen retinentes) ut Veteres bilem. Quæ autem ſtatarum periodorum, certo tempore revertentium paroxyſmorum cauſa ſit, ſi inquiratur, utique erit non tàm varia, non tàm irregularis, ut in noſtro caſu, ſed certo definito modo aggrediens. *Specialiſſimam* autem ejus indolem ſcire qui cupit, ablegamus ad varios *Authores*, imprimis verò ad *Sydenhamum*. Prout in noſtro Ægro vel ex uno foco, vel diverſo hæ vel illæ particulæ fermentantes, efferveſcere facientes, aut reſiduæ, aut demum ad maturitatem perductæ, in turgeſcentiam actæ fuerunt, paroxyſmi etiam redierunt; ceſſarunt verò, cùm portio, quæ efferveſcens tumultuabatur, citius tardius pro faciliori vel difficiliori ſubactione, diſſipatione, expulſione, naturæ & virium robore vel debilitate deferbuit. Dum dicimus, *deferbuit*, innuimus, non ſemper in hoc caſu eductum, expulſum fuiſſe per excretorios ductus, quod efferveſcere faciebat, tumultum ciebat in ſanguine, ſed, ut Hiſtoria teſtatur, aliquando ſaltem deferbuiſſe, id eſt, effœtam factam fuiſſe, ſicut & in Macrocoſmo aliquando ceſſat talis efferveſcentia vel per præcipitationem, ut Chymici vocant, vel per enervationem. Remanſit tamen hîc tincturæ accuſatæ, miaſmatis ſeu fermenti portio, labes quædam ob ſpirituum deperditionem & particularum naturalium craſin ac texturam turbatam à fervida illa pugna relicta fuit.

XII. *Cauſarum expoſitarum* indolem & ἐνέργειαν qui conſiderat, *Subjecti conditiones* & *diſpoſitionem* qui perpendit, *Specialia* illa, quæ Ægrum noſtrum diſtorſerunt, *Symptomata* facilè deducet. Sitis intenſiſſima, oris ac faucium ſiccitas lymphæ roſcidæ defectui, particulis ſalſis, ſapor alienus adverſus ſalivæ infectæ, potus faſtidium, deſiderium cibi ad replendum vacuum, obtundendum rodens in ventriculo, quod ab anorexia,

nauſea, faſtidio, appetitu ordinario multum differens, in his & aliis morbis valdè frequens parciſſimè à Practicis adducitur aut explicatur, probè tamen à prioribus diſtinguendum, inſigni vitioſorum in ventriculo hærentium acrimoniæ non facilè, nec quibusvis cibis aut medicamentis domabili, firmius impactæ, appetitus dejectus liquoris gaſtrici ſpirituoſi degenerationi, & medicamentorum ingratorum adverſis particulis, dolor ventriculi gravativus, compreſſio præcordiorum ac diſtenſio à flatibus, ac ſuccis acribus, cardialgia ferè intolerabilis acerrimis particulis cauſæ morbificæ potiſſimùm verò Emetici, quod non ſolùm acrimonia ſua tàm enormiter læſit, ſed & nerveas ventriculi fibrillas violenter diſtorſit, irritavit, alvi conſtipatio ſuccorum naturalium, bilis, liquoris inteſtinalis & pancreatici ſpiculis obtuſis, lymphæ abſumptæ, ejusdem aliquando fluxus dictorum efferveſcentiæ fuſoriæ colliquanti, reſpiratio quaſi in inferiori detenta, ſuſpirii ſtudium & inanis conatus diaphragmatis debito motui ſufflaminato, depravato, fibrillarum reſpirationi inſervientium conſtrictioni, cordis palpitatio cordi irritato, inæquali ſanguinis motui, vigiliæ, capitis confuſio vaporibus, halitibus, ſanguini ſpiritus agitantibus, confundentibus, turbantibus, dolor capitis, colicus fibrillis membranaceo-nerveis ibi ſitis diſproportionatè à particulis ſub vaporoſà, flatulenta & humoroſa forma afficientibus tactis, laceſſitis, ſolutis, diſtortis, emaciatio roridi nutrientis ſucci inflantis ſpirituoſi balſami defectui, degenerationi, laſſitudo morbos, in ſpecie febres & prænuntians & comitans, & ſubſequens ſpirituum imminutioni, languori, ſuppreſſioni, reſolutioni, fibris muſculoſis ab iſtis dictis heterogeneis preſſis, hinc denegatæ debitæ tenſioni, tàm contractivæ quàm expanſivæ, oſcitatio, pandiculatio halitibus, vaporibus ſub turbatione incipiente exurgentibus, quantitate & qualitate moleſtis, fibras ad iſtum motum diſcuſſorium concitantibus, ſudor modò copioſus, modò abſens ſeri ſecretioni in glandulis variè patientibus vel promotæ, vel impeditæ, frigus, non imaginarium, ſed verum, quod lividi ungues, labia, nares, & aures pallidæ docent, ſufflaminatæ debitæ ſanguinis ſpirituaſcen-

ſcentiæ, impedito ejusdem affluxui (quæ etiam luridi, pallidi coloris cauſa eſt) rigor, horror (*nec ſolis nec omnibus intermittentibus proprius*) acribus, mordacibus, adverſis ſub efferveſcentiæ initium exurgentibus vaporibus, halitibus, particulis fibrillas nerveas irritantibus (in intenſiori gradu roſiones, lancinationes extremorum, tormina excitantibus) ad expulſionem ſtimulantibus, vaſa, nervos, membranas criſpantibus, contrahentibus, concutientibus, ſpirituum ac ſanguinis affluxum debitum impedientibus, (*quia valvulæ nervorum in tubulis intermediis inter muſculum contractorem & extenſorem ſufficenter nondum probatæ ſunt, & modus, quo hoc ſymptoma producunt, nondum luculenter ſatis expoſitus eſt, illam ſententiam non poſuimus*) æſtus maximæ illi & inordinatæ ſanguinis efferveſcentiæ, agitationi, turbationi *debetur*.

XIII. Ægrum *ſpe convaleſcentiæ* ſuffulciit Medicus, ut animi ægritudinem ac dejectionem, imò de ſanitate deſperationem, quæ in talibus diuturnis, ſæpè redeuntibus morbis frequens eſt, tolleret, ſimul & felicem medicamentorum ob ſereniores ſpiritus, animum erectum & confidentiam operationem promoveret. Potuit & ſpem facere, cum plures jam ex tali morbo miſeriores methodo iſta adhibenda, DEO benedicente, ſanitati reſtituiſſet. Nec tamen certiſſimæ convaleſcentiæ ſpes ſemper concipi poteſt, ut *Quidam* faciunt, qui per has febres totum ſanguinem & corpus mundari, purgari dicunt, ac incenſa fuligine fumaria. Hæ enim, qualis hæc fuit, febres, nonnunquam etiam mortem, nonnunquam alios periculoſos morbos poſt ſe trahunt.

XIV. *Medicamenta* præſcripſit cauſis accuſatis oppoſita, *quæ* efferveſcentiam heterogenearum diverſarum particularum depravatam nimiam coërcerent, ordini ac proportioni debitis reſtituerent, refrænarent, quæ particulas iſtas p. n. tenues, volatiles extraordinarias emendarent, infringerent, abſorberent, immutarent: *Quæ* viſcidas, vappeſcentes, aceſcentes corrigerent, attenuarent, imbiberent: *Quæ* ſpiritus, rorem blandum reſtaurarent: *Quæ* flatus, vapores & ſuccos p. n.es

educendo imminuerent: *Quæ* fibras tono, glandulas texturæ debitæ reſtituerent;

XV. *Illa intentione* fuerunt exhibita Ebur, C. C. elixatione, Oculi Cancrorum & Mater Perlarum lævigatione præparata, pleraque Pulveris Pannonic. rubr. (quod completum hîc dicitur, quia Dn. Præſes pro pauperibus incompletum penitùs eundem ſaltem demptis pretioſis parari curat) ingredientia, Aq. fragor. taraxac. ſenec. ſyr. rub. id. alterata apii radicibus, endiviæ foliis juſcula, conſerv. acetoſell. hujusque Syrup. cichor. caro citri, Crem. Tartar. Sem. 4. frig. maj. papav. alb. Aq. taraxac. endiv. Extr. papav. errat. Tunic. ventric. gallin. Hordeum, Oryza, C. C. uſt. Santal. citr. roſ. rubr. (in ſpeciebus.) *Iſta* tum ex modò dictis Imbibentia, & Sal abſynthii. Crem. Tartar. aq. centaur. min. endiv. rad. apii cichor. naſturt. aq. cort. arantiar. L. Saſſafras, tunic. ventric. gallin. tùm in Pulvere Pannonico Cinamom. Caryophyll. Cort. citr. Croc. orient. in ſpeciebus aromat. garyoph. & diarrhod. Abbat. Spica Indica, Macis, Zedoar. Galang. Piper long. fol. Indic. Cubeb. Cardamom. Crocus, Lign. Aloës, Caryophyll. Cinamom. ſem. aniſ. fœnicul. baſilic. & in Electuario Nux Indica, in Syr. byzantin. ſucc. apii, lupul. ut & extract. gentian. (*quod iſti peregrinæ Gentianæ cortici paria feciſſe obſervavimus.*) Card. benedict. bezoard. & papav. errat. Quæ *ſimul* ſpiritus reſtaurant, vigore donant, ſolidarum partium fibras tono, texturæ reſtituunt, accedentibus nonnullis è priori claſſe. *Hæc* dicta jam humectantia, mucilaginoſa, ſucculenta, diluentia, mitigantia. *Educendo imminuere* p. n.es humores, flatus, vapores variè peccantes ſtuduit non ſolùm per alvum ope decoct. Tamarind. ac. fol. ſen. cum Syr. de cichor. c. rhabarb. (non turbulentè aut confusè parat.) qui & alterat & leniter evacuat, mixti, mitis ac lenis, (*nè vehementiori purgante nova p. n.is cieretur fermentatio*) ſed & Diaphoreticis probè temperatis & mixtis, tàm fixis, & iis quæ præcipitant, abſorbent, invertunt, vim ſpirituum & humorum tumultuantem ſimul ſedant, quàm quæ modicè attenuant, rarefaciunt, reſolvunt. Talia prudenter mixta per inſenſilem tranſpirationem non ſolùm,

ſed

ſed & udorem, nonnunquam ſudorem feliciter ſylveſtres heterogeneas iſtas moleculas, ſubtiles, tenues, fermentum ſive miaſma febrile educunt.

XVI. Injunxit Medicus, ut foveatur *calore æquali* corpus. Plures profectò, etiamſi omnia alia debitè peragantur, à denudatione, refrigeratione corporis (*quod impatientibus ægris familiariſſimum*) & hinc ubivis commendata tranſpiratione impedita tales morbos contrahunt, protrahunt, intendunt, in talibus morbis moriuntur. Cibis interdixit quibusdam, hi enim aut materiam aut fomitem, aut motum cauſis addidiſſent morbificis. Abſtinentiam ante paroxyſmum injunxiſſet Medicus, ſed ob vagas invaſiones non poterat obſervari. Vinum die paroxyſmi prohibuit, nec omni apyrexias die conceſſit ægro, qui in his oris diu degens œnopolá fuit, nè impetuoſus, inordinatus ſpirituum & ſuccorum motus augeretur, non ſemel miratus *Quosdam*, qui vinum ſanctè prohibuerunt, potus tamen penitus aromatiſati, ſpirituoſi, volatilis varia genera in talibus caſibus propinaſſe. Potus iſte ordinarius non ſolùm Indicantibus reſpondet, ſed & palato haud ingratus aut adverſus eſt. Non latet nos, ſæpè *Medicos* hîc *decipi*, cùm ægri vel alimenta vel potulenta prohibita, vel etiam medicamenta ab aliis ſubminiſtrata clam aſſumunt, Medico inſcio; ſed tales ægri, dum fallunt, falluntur maximè. Dolemus, (*volentibus quidem non fit injuria*) perire aut ad minimum mirè debilitari plures à morbis talibus, anomalis, diuturnis dejectos ſæpè non tàm morbi, quam medicaſtrorum, tonſorum, empiricorum, muliercularum culpa.

XVII. Unum & alterum circa hactenus expoſita *Dubium* Curioſo oboriri forſan poſſet, quod ſolvendum cenſemus. 1. *Cur juſcula alterata ſuaſit Medicus*, cum tam malè audiant Quibusdam Recentioribus, qui cum *Toparcha Merodano* dicunt, ipſam Naturam abhorrere & deteſtari talia, docente id febricitantium anorexia, corpora impura à nutrientibus magis lædi, iſta juſcula tantum non nutrire, ut magis cadaverentur, medicamenta cibis non eſſe miſcenda. Reſp. Negatur hæc Connexio: Quod Natura non appetit, ægro non exhibendum:

Hæc enim ſi ſtaret, nulla aut pauciſſima exhibenda eſſent medicamenta. Nec ſemper anorexia adeſt, & tùm, cùm in noſtro Caſu exhibita fuerunt talia juſcula, appetitus erat mediocris. Præter hæc, ubi vel talia juſcula vel alia etiam medicamenta ſummè faſtidit æger, ſubſtitui poſſunt alia, vel his gratia conciliari. Non nutriendi ſolùm gratia, ſed & ob vim medicamentoſam ſuadentur, non autem omnia alimenta, ſi debitæ obſervatæ fuerint regulæ, corrumpuntur, nec lædunt, &, qui cibis vires medicamentoſas alterantes denegare vellet, ageret contra ipſam Naturam, vix alimenta, quæ non ſimul corpus immutant, ſuppeditantem. His rationes evertimus contrarias. Commoda talium juſculorum uterque teſtis Medicus confirmat.

XVIII. 2. Cùm perenni motu ſanguis feratur per partes, loca quævis perluat, eorumque ſordes continuò transferat, *quî poterit minera*, ſubjectum cauſale, focus, ſedes in hac vel illa *particulari parte* poni? *Reſp.* In ſtatu p. n. colligi, ſtagnare hîc vel ibi aliquod heterogeneum modò in vaſis, modò extra vaſa, non penitus ſublato, ſed aliquantùm à naturali ſtatu recedente ſanguinis circulo, quotidiè varii tumores, abſceſſus, obſtructiones, liquorum ob occluſa vaſa detentiones, phtiſis, pleuritis, angina &c. docent. Nè dicamus in minima quantitate, etiam ſpirituoſa ſubſtantia fermentum hærere poſſe.

XIX. 3. Expellitur in paroxyſmis febrilibus cauſa è vaſis ad renes, ambitum corporis, ventriculum, inteſtina, nares, & per has partes denique evacuatur: *Cur nulla mentio facta hujus etiam Subjecti Cauſalis?* Reſp. Novimus, Quoſdam etiam has partes hoc reſpectu Focum nominare Febrium Intermittentium. At cùm hæc contingant, cum & ſub deferveſcentia & ceſſatione paroxyſmi, adeoque potiùs tollant, quam gignant aut detineant cauſam, in Claſſe Subjectorum Cauſalium ſub hoc reſpectu non, ſed ſub alio recenſuimus.

XX. 4. *Cur* Cremor Tartari, endivia, papaver erraticum, tunicæ ventricul. gallin. cichor. *in utraque ac diverſa medicamentorum claſſe poſita ſunt?* Reſp. Plura ſunt medicamenta,

quæ non uniformibus, ſimplicibus gaudent particulis ac viribus; Ex quorum Claſſe & hæc ſunt, nec enim ſolùm coercent, refrænant effervefcentiam, ſed & incidunt, attenuant, tranſpirationem promovent, & fermentationem naturalem ſuſcitant. Hinc & Abſorbentia, Imbibentia utrinque commendamus, cùm & acidas, & ſulphureas, acres, ſalſas immutent particulas.

Cùm dicta ad Medici præſcriptum debitè in uſum duceret noſter *Lanius*, ac tranquillo eſſet animo, *per DEI gratiam* convaluit, ſuo docens exemplo, quantum ſibi noceant plurimi ægri, qui ſub morborum decurſu impatientes, indignabundi in Medicum, in Medicinam, in Fatum, imò nonnunquam in DEUM ipſum debacchantur. *Nos pro hâc ſanatione & infinitis aliis beneficiis Benigniſſimo Patri Gratias agimus, cantamus: Gloria in Seculum Seculi.*

I.

FAuſtus erit, qui Te *Socium* ſibi ſeliget Æger:
Opto: Tibi *Socius* ſit DEUS aſſiduus!

adſcripſ.

Præſes.

II.

WEr ſo wie Ihr/ mein Freund! zu ſteigen ſich bemühet
Die gehe Straß deß Helicon.
Wer einer ſchweren Laſt die Schultern nicht entziehet/
Trägt Ehr und Ruhm zuletzt davon.
Es grünt das Lorbeer-Reiß zu rauhen Winters-Zeiten/
Ob gleich der Wind von Norden weh't/
Apollo ſelbſt will Euch daraus ein Krantz bereiten/
Der umb die zarte Schläffe geh't.
Dann wird Euch Müh' und Schweiß ein **liebes Kind** verſüſſen/
und eine treue **Geſellin** ſeyn/

Die

Die neben Euch dann ſoll die ſüſſe Frücht genieſſen/
Die Eure **Kunſt** wird tragen ein.
Wohl dann! ſo fahret fort/ die Zeit wird ſchon erſetzen
Die angewandte Müh'/ und Euch darvor ergetzen..

Mit dieſen obgleich ſchlechten doch wohlgemeinten Reimen wolte ſeinem getreueſten und hochwehrtiſtem Freunde und bißherigem Studien-Geſellen ſeine Schuldigkeit abſtatten

Joh. David Mauchart/
Eſsl. Med. Cand.

III.

NIl ſtudium languere Tuum, nec mentis acumen
Sermo de Febribus nunc Tuus euge! probat,
Sacra peregiſti Medicinæ ſidere fauſto,
Profectusque Tuos pulpita docta probant:
Opto Tibi ut capias poſt præmia digna laborum
Moxque Tuas ornet Laurea ſerta comas.

Hæc Nobili & Clariſſimo DN. RESPONDENTI *Familiari ſuo jam à cunis dilectiſſimo, gratulabundus appoſuit*

Matthæus Golther, Jur. Stud.

IV.

PRæmia ſi multos expectant digna labores,
Quis Spartam & SOCIAM nunc tibi jure neget?

FRATRI SUO
ex fraterno affectu applaudit

Joh. Ulricus Gſell/
Philoſ. Stud.

F I N I S.